



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

IV. Expeditio S. Henrici contra sclauos. Votum eius. Pietas exercitus.
Cælites in acie visi. Victoria insignis. Gratiarum actio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

erat, ob quas etiam Othoni Magno gratissimus exitit: in cathedram Magdeburgensem, prædicto Rege id efficiente, præponeretur. Factum est autem, ut Merseburgensis Episcopatus penitus destrueretur, & quæ potiora erant illius Ecclesiæ, in prædiis, in ministerialibus, in ornamentis, in ditionem Magdeburgensis Ecclesiæ transferrentur, & de quibusdam reliquiis possessionum, quæ Merseburg remanserant, Abbatia inibi construeretur. Quod factum vsque ad tempus pii Confessoris Henrici immutatum permansit. Cùm autem conuocatis idem Rex Principibus Regni sui Quendelburg curiam celebrasset: vniuersis in id ipsum consentientibus, Poloniam & Boëmiam, cæterasq; Sclauorum adiacentes regiones, quæ fines regni sui vastabant, debellare disposuit.

*Bona Ecclesia
Merseburgensis
Magdeburgum
translata.*

CAPVT I V.

*Expeditio S. Henrici contra Sclauos. Votum
eius. Pietas exercitus, calites in acie visi.
Victoria insignis. Gratia-
rum actio.*

Congregato itaq; exercitu, contra prædictas nationes aciem direxit. Et faciens transitum per locum, qui *Walbech* dicitur, gladium sancti Adriani Martyris, qui pro reliquiis multo tempore ibi seruabatur, accepit. Quo accinctus, ex toto corde suo clamauit & dixit: *Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me, apprehende arma & scutum, & exurge in adiutorium mihi.* Inde progressus castra metatus est in campo, vbi Merseburgensis Ecclesia sita est, & videns locum desolatam, & in nihilum redactam, ingemuit & ait. *Beate Laurenti Martyr Christi, si tuo interuentu has barbaras nationes ad quas pergo, Romano Imperio, & Christianæ religioni subiugauero, hunc locum desolatam tuo nomini consecratum: diuina fauente gratia, in pristina dignitatis statum reformabo.*

*Imp cingit se
gladio Sancti
Adriani.*

Psalm. 34.

*Voto obstringit
se reparandis
Ecclesiâ Mer-
seburgensem.*

B

Vt verò

*S. Henricus
confugit ad
preces.
Diuus exerci-
tum commen-
dat.*

Psal. 78.

*Videt Impera-
tor Martyres
exercitum an-
tecedentes.*

*Victoria in-
signis.
Gratiarum
actio pro Vi-
ctoria.
1. Petri 5.*

Vt verò Principes Poloniae & Boëmiæ, ceterarumq; Sclauicarū gentium primates Romanum Imperatorem cum exercitu ad debellandos eos aduenire cognouerunt: innumerabili multitudine collecta, in bellum ei obuiam procefferunt. Quod Regi pio per speculatores suos citò innotuit, & sicut in omnibus angustiis suis solebat, ad orationis arma confugit. Innocatoq; super se nomine Domini; beato Laurentio, Sancto Georgio, & Beato Adriano Martyribus, se suumq; exercitum protegendum cum summa deuotione commisit. Et cum omnes perceptione corporis & sanguinis Domini confortati fuissent, ad locum certaminis venerunt. Vbi cum Rex beatus verbis exhortatoriis ad viriliter agendum singulorum animos erexisset, videns innumerabilem aduersariorum multitudinem: clamauit ad dominum, & ait. *Deus qui conteris bella ab initio: eleua brachium tuum super gentes, qui cogitant seruis tuis mala. Disperge illos in virtute tua: & destrue eos protector meus. Pone illos vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti: Hæc dicens aperti sunt oculi eius & vidit gloriosos martyres, Georgium videlicet, Laurentium, Adrianum, cum angelo percutiente, exercitum suum præcedentes: & hostium cuneos ad fugam propellentes. Et sicut exercitus Senacherib ab Angelo percutiente contritus est & periit: ita & omnis barbarorum ista multitudo per virtutem Dei conterrita, proiectis armis sine effusione sanguinis Christianorum, fugæ præsidium quæsiuit. Quo viso Rex Sanctus, eleuatis oculis & manibus in cælum, benedixit Deo cæli & ait. *Benedico te Rex cæli & terre, qui superbis resistis & humilibus das gratiam: qui custodis diligentes te & glorificatus es in gentibus, propter datam nobis de cælo victoriam. Visis ergo barbaris & quæ ad futuram pacem prodesse poterant firmissima pactione stabilitis, vir beatus cum suis in sua redierunt cum pace, glorificantes & laudantes Deum, qui saluat sperantes in se.**



CAPVT